

B. N. II, 343.

h. 67, 4.

Q. D. B. V. XIV.

X 1880 371

II R
4928

DISPUTATIONEM
JURIS PUBLICI ET PRIVATI
DE

ENSIFERIS

SUB
PRÆSIDIO

DN. GEORGII ADAMI
STRUVII,

JCTI CONSUMMATISSIMI, SERE-
NISSIMORUM DUCUM SAXO-VINARIENSIIUM
CONSILIARII INTIMI, ILLUSTRISSIMI REGIMINIS AC CONSI-
STORII SAXO-JENENSIS PRÆSIDIS EMINENTISSIMI, FACUL-
TATIS JURIDICÆ ORDINARII, UT ET CURIÆ PROVINCIA-
LIS AC SCABINATUS ASSESSORIS PRIMARII
MERITISSIMI.

DN. PATRONI ET PROMOTORIS SUI
SUMMO PIETATIS ET OBSERVANTIÆ CULTU ÆTERNUM
DEVENERANDI,

IN
CELEBERRIMA HAC SALANA

publicæ disquisitioni exponet


IN AUDITORIO JCTORUM

ad d. Mart.

A U T O R

JOHANNES JACOBUS NICOLAI,
Dresd. Misn.

JENÆ, Stanno JOH. DAV. WERTHERI. 1683.





M. N. D. N. J. C.

PRÆFAMEN.



Conveniens scribendi argumen-
tum invenisse, magna aliàs, ut
Gallicus ille Satyricus inquit, scri-
ptoris apud eruditos gloria est.
Sed ego ne in eligendâ specimi-
nis cujusdam publici materiâ

*Petrus Fir-
mianus in
Gyge Gall.
Diss. 12.
p. 17. f.*

diu diuque hærerem anxius, hanc de Ensiferis,
quam religiosissima in Seren. ac Potentiss. Elect.
Sax. Dominum meum Clementissimum, qui
Augustus Ensifer *κατ' ἐξοχήν* vocatur, pietas, de-
votæ subjiciebat menti, suscepi hilaris. Quip-
pe nec quicquam motus argumenti ipsius,
quod maximam partem in Illustri positos con-
cernit, magnitudine ac gravitate. Quamvis
enim neque sublimia atque Cœlestia humili-
ter, neque splendida atque Illustria obscurè ac
sordidè, nec magna atque eximia jejunè vili-
terque explicanda sint, vel sola tamen, quæ ut

A

supre-

suprema in humanis lex me audentem fecit, hu-
millima erga indulgentissimum Patriæ Patrem
devotio, sterilitatem ingenii iudicii que defe-
ctum, ut spero, absolvet facile: Præsertim
cum pulchrum quoque sit cadere præclara co-
natis. Tu itaque B. L. ubicunque Tibi ex asse
non satisfactum sit, pro candore Tuo, ob tem-
poris, quo per varia subinde itinera exclusus
hucusque fui, rationem æqui bonive consule,
memor insuper illius, quod non mortalitatis
sit omnium habere memoriam, *l. 2. §. 14. C. de
V. I. E.* & nemo possit naturam sic retinere, ut
non peccet nihil, hoc enim proprium est so-
lum Dei, *Nov. 33. c. 5. m.* Sed ne in immensum
verborum flumen immergam calamum, ac-
cingam me ad rem ipsam, ardentissimis prius
exuperantissimam Divini Bonitatem, sine cuius
ope nihil auspiciari valemus *c. Principatus 25.
c. 1. quest. 1.* poscendo suspiriis, ne nostra hæc
conamina felici successu beare dedignetur.

Th. I.

Nimirum sic naturâ comparatum deprehendimus, ut
nec pulchrum quicquam nec fructuosum vel utile
esse possit deficiente ordine. Hoc enim militia vincit,
procedit agricolatio, mercatura lucratur, atque o-
mnes præterea artes & incrementa capiunt & consumantur.
Neque in inferis tantum & iis, quæ ante pedes nostros sunt,
illud spectatur, sed & ipsa pulcherrima Cæli machina dispo-
sitione rotatur planè admirabili, statosque & descriptos cur-
sus

sus stellarum chori excedunt nunquam; Nec Elementa de-
 nique minus suâ inter se apta nexaque sunt collocatione,
 eaque quam diu durabit, non dissolvetur universi moles.
 Quod si igitur pleraque in quibus aliquid momenti positum
 est, negotia, nec ritè suscipi, nisi ordinis ratio præcipuè ha-
 beatur, nec feliciter ac dextrè deponi possunt, summa & mi-
 hi ipsius cura erit. Unde primùm aggredior nomen. Nam
 licet, quia verba rebus sunt subiecta, non res verbis, l. 2. f.
C. commun. d. Legat. de rebus potius, quàm de verbis solli-
 citi esse debeamus. *Coedd. ad rubric. Tit. d. V. S.* & nominum
 disputatio pertinacibus relinquenda sit *Gail. l. 2. d. Pac. Publ.*
c. 1. n. 15. Attamen rerum intelligentiam à verborum intel-
 ligentiâ pendere dicit Divinus *Plato in Cratyl.* horumque
 intellectum verum res quasi in pictâ tabulâ subijcere & de-
 clarare asserit *Rogerius in Tract. d. Jur. interpr. quest. 2. pr. n. 1.*
 & vocabula rerum notas esse evincit *Philosophus lib. de interpr.*
c. 1. § 2. conf. Cubach. in Brocard. c. 20. pr. § seq. Henelius Tr.
d. Vet. Jctis c. 4. §. 5. seq. Aristoteles 3. Metaph. 2. § 2. To-
pic. 7. Everhard. in loc. Top. ab Etymol. n. 2. Vult. ad §. 2. d.
Legat.

Th. II.

Priusquam igitur ipsius rei penetralia lustrem, quæ cir-
 ca vocabulum occurrunt notanda, excutiam, summorum,
 qui in evolvendâ verborum laborarunt origine, Jctorum
 premens vestigia. *Pauli videlicet l. 2. §. 1. π. d. Reb. Cred. Ul-*
piani l. 1. pr. π. d. J. § J. Pomponii l. 18. §. 1. § l. 239. §. 1. π.
d. V. S. Juliani l. 1. pr. π. ad L. Aquil. Florentini l. 4. §. 1. π. d.
stat. hom. ipsiusque Imperatoris in pr. J. d. Testam. § §. 2. J. d.
Tut. § c. Adhæc ambiguitas ad instar prædicti *Ulpiani in*
l. 1. pr. π. d. R. C. cæterorumque *Jctorum in Tit. d. V. S.* nec
 minus identitas appellationis erit exhibenda, ne fortè nomi-
 num ac rerum fœda invicem fiat confusio annotante *Justi-*
niano in l. 5. C. d. Leg. Tut.

Th. III.

Etymologia autem trivialis ac satis nota est, ideoque obi- *Etymolo-*
 A 2 *ter gia.*

ter saltem attingenda. Descendit enim vox Enfifer, quæ
aliàs ut Epitheton Orionis est apud Ovid. l. 2. d. Arte.

Enfifer Orion afficiendus.

Synony-
mia.

A ferendo & Ense, qui Græcis $\xi\phi\theta$ vel $\mu\acute{\alpha}\chi\alpha\iota\sigma\alpha$, Gall. épée,
Ital. Spada, Hisp. espada dicitur, & Synonymicè Latinis mu-
cro vocatur vel gladius. v. Buchn. Lex. in vocab. Ensis. Hinc Lo-
gicis instar identicæ est propositio: Ensis est gladius. Et li-
cet alii diversum sentiant, iis tamen, qui ensem tantum fer-
rum, gladium autem totum credunt, non adeò reluctor, non
nesciens nomina significandarum rerum gratiâ reperta, quæ
si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest, maximè
dum Synecdoche tutus, quâ licitum partem pro toto po-
nere.

Th. IV.

Homony-
mia.

Cæterum gladius vel ensis, non uno accipitur modo.
Præterquam enim, quod sensu vulgatissimo illud deno-
tat ferrum, quo quis in præliis utitur, ideoque belli di-
citur, *Baldwin. Cas. Conscient. l. 4. cap. 12. Cas. 7. pr.* & inter
arma refertur. *l. 41. d. V. S. l. 3. §. armis. π. d. vi §. vi armat.*
non solum tropicè pro verbo Dei *Ephes. 6. v. 17.* & dictis
accipitur ap. *Cicer. pro Cecina. & Terent. in Adelph.* sed etiam
Juridicè varia significat. Quippe ex eo quod summi Impe-
rii insigne esset, teste *Xiphilino in Trajano Tacit. 3. hist. 68.*
Plutarch. qq. Roman. Herod. l. 3. Grot. lib. 1. d. J. B. §. P. c. 4.
n. 16. simul importat potestatem, & primariò usurpatur
pro ipso mero Imperio. *l. 70. π. d. Reg. Jur.* Quo respexit
etiam *Lucanus*, qui *l. 5. v. 61.* de Ptolomæo Ægypti Rege ita
canit:

---- *seuunque in populos puer accipit enses*

Et Stat. 5. sylv. in protreptico Crispini 112.

---- *En ingens reserat tibi lumen honorum*

Cesar, §. Ausonii committit munia ferri.

Vade puer, tantisque enixus suffice donis,

Felix qui magno jam nunc sub Præsede iuras

Cuique sacer primum tradit Germanicus enses.)

Ubi

Ubi præsidatum alii provinciæ, aut Prætorii præfecturam, alii verò sacri curam cubiculi per enses significari desudant. vid. *Turneb. lib. 12. c. 6. Petr. Fabrum lib. 1. Semestr. c. 3.* Stantianosque insuper interpretes *Morellum atque Crocæum ad d. l. 5. sylv. Carm. 2. sub fin.*

Th. V.

Hinc in liberâ quoque Rep. notante *Appiano l. 3. de bellis Civil.* Imperatori belli aleam jacturo ensis à Consule dari consuevit. Quin imò ex istâ clarius hæc patent ratione, quod Merum ut vocatur Imperium, definitur habere gladii potestatem in facinorosos animadvertendi. *l. 3. π. d. Jurisd. conf. ad h. l. post Jacobum Gothofredum Brunnem. n. 1. & Busius n. 2.* Item *l. 8. §. 1. π. d. pœn. l. 6. §. 8. π. d. off. Præsid. l. 6. π. d. interd. & releg. l. 1. ne sine jussu Princ. in C. Theod. § l. 74. d. decurion. in eod. C. Cujac. 21. observ. 30.* Et hoc vel ideo factum, quia maximè cernitur Merum Imperium in pœnis animam hominis adimentibus, & gladius q. s. factus, ut gulam, dividat: i. e. cervicem defecet. Cætera enim membra securibus cædunt, collum tantùm gladio. *Isid. Orig. l. 17. c. 6.* adeoque ut à potiori sumatur denominatio, vel latè, ut ad cæteras quoque pœnas extendatur.

Th. VI.

Deinde Ensis vel generaliter in Jure nostro accipitur pro quâlibet criminis coercitione certâ & definitâ, Civili aut criminali, pecuniariâ aut corporali. *Scipio Gentil. lib. 3. de Jurisd. c. 3.* Vel specialiter omne ultimum supplicium includit *l. 5. Cod. ad L. Jul. maj. l. 31. C. ad L. Jul. d. adult.* Vel specialissimè denique sumitur pro pœnâ speciali, quæ perficitur gladio. *l. pen. Cod. d. his qui accus. non poss. Cujac. l. 1. q. q. Papin. in. l. 1. d. off. ejus cui mand. p. 14. B.*

Th. VII.

Antequam nunc videamus, qui gladii gestandi potestatem concedant, sciendum est, Ensiferum esse eum, cui competit jus debitè enses ferendi vel propter superioritatem, dignitatem, officium aut necessitatem in loco & tempore

Causa efficiens.

re comprobato. Et quidem cum potestas gerendi gladii non modo Jure Divino *Rom. 13. v. 4.* sed etiam Jure Gentium à multis jam seculis inter tot populos summorum Potestatum certissimum fuerit signum *Suet. in Galbâ c. 8.* ac pars, adeò ut regna etiam per gladium in investiturâ collata sint *Otto Frisingensis l. 2. c. 2.* in promptu est colligere, non nisi illis, qui summum habent imperium, facultatem concedendi gestationem gladii competere. Nempe in Monarchia uni, in Aristocratia Optimatibus, in Oligarchia divitibus, in Politia universo populo, in Democratia plebi. Hinc primitus apud Principem terrarum populum, cum teste Livio tanti habitâ fuisset potestas gladii, ut nunquam jure Magistratus in ququam translata sit, *l. 1. π. de offic. ejus cui mand. c. jurisdict. ibique Hahn. 3. n. 3.* sed penes Majestatem infolidum semper, resederit, *l. 2. π. d. Orig. Jur. §. 14. 16. 18. §. 23.* Magistratibus non licuit potestatem gestandi gladium permittere *l. 54. de R. J.* non magis, quàm sibi potuerunt summam potestatem arrogare.

Th. VIII.

Nolim tamen hic cum iis facere, qui ex hoc, quod in antiquâ Rep. Rom. non fuit permissum Magistratibus gestandi gladii jus aliis largiri, inferunt, nec Statibus Imperii plus tribuendum. Cum enim Germaniæ proceres mutato Imperii statu longe differant à Magistratibus, *Job. Herman. Stam. l. 3. d. servitut. person. c. 10. Henning. Gœden. Consil. 32. num. 20. §. 21.* ideo à diversis diversimodè quoque conjiciendum; & omnino probandum quod *Hahnus ad Wesenb. Tit. d. Offic. ej. cui mand. est. jurisd.* asserit, absurdum esse nostris temporibus dicere: Principes Imperii isto sensu Magistratus esse. Quippe translato ad Germanos Imperio ipsa regalia communicari, *Paumeister. d. Jurisd. l. 1. c. 4.* ac Imperii Statibus non jure Magistratus, sed jure superioritatis perpetuo ac hereditario cum nomine Ducum, Marchionum, Comitum, &c. concedi irrevocabiliter cœperunt. *Stuckius disp. Acad. 1. th. 44.* ut scilicet eo fortius se gererent, si scirent, quicquid ab hostibus detraheretur sibi perituum. *Vultej. d. 1. Feud. 1. v. omnino. Arnis,*

*Arnis. 2. relect. Pol. c. 3. §. 5. n. 18. & c. 6. §. 5. n. 124. Lehm.
Chron. Spir. l. 4. c. 1. Anton. Coler. de Jure Imper. Rom. th. 958.
Besold. part. 1. d. jur. publ. c. 4. p. 123. Keckerman. disp. polit.
ult. th. 12. It. Andr. Knich. tr. d. superiorit. & regali territor.
jur. c. 1. n. 192. Molin. in consuet. Paris. tit. 1. d. mater. feud. §.
1. & Bachov. ad Treutl. 1. disp. 23. th. 1. lit. C. Ernest. Coth-
mannus §. respons. 1. n. 51.*

Th. IX.

Cognitis iis, qui potestate concedendi enssem gaudent, nunc ad hos, qui tale jus ab illis impetrarunt. Et olim quidem in Rep. Rom. ab initio, quando reges causarum capitalium cognitiones exercuerunt, nullis Magistratibus; subsequenti autem tempore, cum merum Imperium aliquibus esset concessum, (quales Præfectus Urbis, Præfectus Prætorio, Proconsul & Præses provinciæ fuerunt, *l. 1. d. Off. ej. cui. l. 2. π. d. in jus vocand. si quid erit l. 1. π. d. Offic. Procons.*) his demum licuit habere gladium, *Dempserus l. 10. paralip. c. 5. per tot. Scip. Gent. l. 1. de Jurisd. c. 5. & l. 3. c. 3. Pancirol. in Notit. Imp. l. 1. c. 7.* quia insigne fuit Magistratus publicum judicium exercentis; sicut hasta Prætoris urbani privatim judicium exercentis. *Rosin. Antiq. Rom. l. 4. c. 18. Camer. hor. subcis. cent. 1. c. 76. p. 346.* Quod & significantissimè *Godofr. Vieterbiensis part. 19. Chron.* ita demonstrat:

*Judicii signum gladius monstrare videtur
Quo malefactorum feritas cessare jubetur
Ut latro frustetur, rex tenet arma secum.
Præcipitur gladius vibratus semper haberi
Puniat ut subito, potuit quod culpa mereri.
Nam si tardus erit, pax viduata perit.*

Unde ex hoc insimul apparet lucidissimè, quare Consulibus quondam non secures, sed virgarum fascis duodecim à licitoribus fuerint prælati, *Briss. 3. select. antiquit. 14. Gothofr. ad l. 1. §. 5. π. d. postul.* Dictatori verò, penes quem major erat potestas, duæ secures. *Forsterus hist. Jur. civ. l. 1. c. 17. n. 12.* quia sc. Consulibus non Merum s. potestas gladii, ut

Dicta-

Dictatori fuit, Nam non potuerunt in caput civis Romani animadvertere *d. l. 2. §. 23. π. d. Orig. Jur. l. 14. §. 2. d. interd. & releg.*

Th. X.

Quod autem dictum Magistratus, quibus concessa potestas gladii, gladios habuisse, cum grano falis accipiendum autumo. Quippe non omnes indistinctè cingulo fuere cincti, sed militares tantum, velut Imperatores Duces, Tribuni &c. quo spectat illud *Martialis l. 14. Epigr. 32.*

Militiæ decus hoc est, grati nomen honoris

Arma Tribunitium cingere digna latus.

Et quibus inter Civiles Augustus illud speciatim concesserat, uti asserit *P. Faber ad l. 70. de R. J. §. 1. semestr. c. 3. ex Dione l. 3.* Cum itaque ne omnibus quidem indifferenter Magistratibus licuerit gladiis uti, multò minùs privati gladium gestare sunt ausi. *l. 3. §. 1. π. ad L. Jul. d. vi public.* Sed paucula hæc ob propositam dissertationis intra angustos cogendæ cancellos brevitatem de veteri R. Imperio sufficient.

Th. XI.

Nunc ad mores hodiernos veniendum. Et primum quidem omnium hîc non tam ratione officii, quàm ob solam dignitatis præminentiam gladii gestandi jus habent illi, quibus competunt Jura superioritatis, nempe omnes personæ seculares Principali dignitate præfulgentes: ut Duces, Marchiones, Comites, Barones, &c. *Reinking. d. Regim. secul. & Eccl. l. 1. class. 4. c. 16. pr.* Neque enim hic obstat, quod Decianus de Comitibus & Baronibus Siciliae contrarium affert. *tr. Crim. c. 3. n. 17.* Cum regnum istud jamdudum Imperio ademptum sit. *v. de eo Münster. Cosmograph. de Italia. c. 73. & Crus. Ann. Suevic. l. 2. part. 3. c. 19.*

Th. XII.

Hîc religioso fatius erit venerari silentio, quàm minùs concinnè jejunèque dicere, quod Sereniss. ac Potentiss. Elector Saxoniae, Dominus meus Clementissimus, in Comitibus & processionibus Imperialibus medius inter Imperatorem & Archiepiscopum Trevirensis nudatum ac strictum ante Imperato-

ratores immediatè præfert ensem. *A. B. c. 22. § 26. §. 3. Herm. Herm. Fasc. J. P. c. 24. n. 1. Limn. T. 1. J. P. l. 3. c. 10. n. 28. § ad A. B. c. 22. observ. 3. Lampad. in Politischen Reichs-Händeln Artic. 12. Bœcler. Notit. Imper. c. 11. Schütz. Colleg. Jur. Publ. Exerc. 1. th. 22. Not. Metter. contin. in Goronat. Caf. Matthia A. 1612. p. m. 7. in symbolum scilicet peculiaris Majestatis Limn. T. 1. Jur. P. l. 3. c. 10. n. 18. vel justitiæ ut vult Carpz. ad Leg. Reg. c. 11. sect. 10. n. 26. conf. Herm. Herm. Fasc. J. P. d. l. ut fontibus terrori & Bonis præsidio sit. Camer. hor. succ. Cent. 1. c. 76. fermè ad exemplum, ut pulcherrime Magnif. DN. Ziegl. in diss. d. singulari Ser. Electoris Sax. eminentia docet. § Clut. in Syllog. th. 24. lit. M. in fin. Præfetti Prætorii, à quo Veteribus etiam Imperatoribus in munimentum sui, si rectè agerent, sint aliter in eos magis, quemadmodum dignissima Majestate Trajani vox habet, in paneg. Plin. prælatus fuit ensis; cujus vicem spata Caroli M. tempore obtinuisse legitur. Turpin. in vit. Carol. Arum. disc. 6. ad A. D. th. 49.*

Th. XIII.

Est enim Archimarschallus Imperii. *A. B. c. 5. n. 2. Rumel. ad. A. B. 2. 4. 9. § 3. 5. 17. add. Limn. T. 3. J. P. c. 10. n. 19. quod officium dignitatis honore inter secularia in Imperio supremum Lehm. Chron. Spir. l. 2. c. 13. efficit, ut in expeditionibus cæteris Principibus præferatur, Strauch. diss. Jur. Publ. th. 11. cum quasi primarius Campi Mareschallus sit, vice Cæsaris, Scharfshm. Syst. J. P. R. G. c. 22. §. 1. § ad Schütz. Coll. J. P. eperic. 7. th. 23. lit. L. Unde non solum nomen Protospatarii obtinet. Crus. hist. Suev. part. 2. l. 1. c. 6. p. 221. Sed & insignia habet gladios decussatim compositos, de quibus Alb. in Meißn. Chron. 4. 16. p. 435. ita scribit: Der Chur-Sachsen Wapen ist eine Fahne / so oben schwarz und unten weiß / darinnen zwey rothe Schwerdter überschrencket / hiervon ist in den alten Reimen:*

**Zwey Schwerdt das Marschall-Ampt bedeuten /
Die Wendischen Heyden auszureuten.**

B

Conf.

Conf. Scharfchm. d. syst. I. P. c. 22. n. 5. f. Quorum unum tamen munus Electorale designare credit Limn. T. I. J. P. l. 3. c. 10. n. 29. Alterum fortassis tesseram, de qua Knichen de Saxon. non provoc. jur. verb. Electorum. c. 1. n. 169.

Th. XIV.

De cætero testatur Richardus in gestis Philippi III. filii Ludovici Sancti & ex eodem Louys d' orleans és ouvertures des Parlemens chap. 17. p. 225. nomen hujus Ensis Imperialis, (de quo præter Excellentissimum DN. Beckmannum, Polyhistorem illum famigeratissimum Preceptorem quondam & Patronum meum nunquam non suspiciendum in elaboratissimo opere suo, quod notitiam dignitatum Illustrium inscripsit. Dissert. 4. c. 4. pr. & n. 5. vid. Arum. dis. 6. ad A. B. th. 30. Hopping. d. insignium s. armorum prisco & novo jure c. 2. §. 7. sect. 2. membr. 2. tit. 3. n. 827. & seq. p. 145. & seq. & Limn. T. I. J. P. l. 2. c. 4. n. 20. ac T. 5. in addit. ad d. c. 4. n. 20.) moremque eundem præferendi à tempore Caroli M. cœpisse. Hæc enim ipsius verba Richardi sunt: Quoniam à tempore Caroli M. Regis Franciæ & Imperatoris Romanarum, consueverunt Reges Franciæ Jocosam Spatam prædicti Caroli Regis & Imperatoris & in die coronationis suæ, dum celebratur prædictæ coronationis officium, in memoriam tam victoriosissimi Principis, à quodam de nobilioribus ante se facere teneri & deferri. Quò collimare etiam videtur le Sieur de Bonair en son discours sur la conjointure présente des Affaires d' Allemagne p. 47. quando Electores scribit in actu coronationis, Regi Rom. præsentare l' épée de Charle magne toute nue que les Allemans disent avoir été apportée a ce Prince pas un Ange, ors qu' il entreprit la guerre contre les Saxon. Elle n' est par de la taille ny de la fagon de celle, qu' on garde dans le tresor S. Denys. Sed an hic rectè dicatur Caroli M. ensis inquisivit Limn. T. 5. J. P. in addit. ad l. 3. c. 10. n. 28. absque decisione tamen, allatis tantum diversis opinionibus, quarum utraque ut vera, ita & falsa esse possit.

Th. XV.

Licet autem summum hoc Archimarschallatûs Imperii officium non uni semper concreditum fuisse exinde conjicere:

cere velit *Limn. ad A. B. c. 22. Observat. 3.* quod non modo
teste *Frising. l. 7. hist. c. 19.* Lotharius Imperator Regem
Daciae in signum subjectionis ad decorem Imperialis reve-
rentiae gladium sibi sub corona deferre fecerit; & Philippi
Suevi tempore Bohemiae gladii regalis bajulum fuisse scribat
Arnold. Lubec. l. 6. Chronic. Stavort. c. 2. Sed etiam ex
Dintero lib. 6. c. 17. Chiffletius in comment. Lothariensi c. 23. p.
98. referat in coronatione Wenceslai Regis Rom. Rudolpho
Sax. Duci S. R. I. Archimarschallo de praelatione gladii qua-
estionem movisse Ducem Luxemburgensem, rectius tamen
idem his factis Saxonis Juri in *A. B. c. 22.* atque communi
observantia fundato nihil praedjudicari potuisse statuit. *T. 5.*
J. P. in addit. ad l. 3. c. 10. n. 28. conf. antea citatus *Magnif.*
DN. Ziegl. in d. disp. d. sing. Ser. Elect. Sax. emin. & praeter
Herm. Herm. Fasc. I. P. c. 24 n. 2. Hartm. Maurus de Coron. Caroli V.
Ubi cum in ingressu Caroli V. Anno 1520. in Aquisgranum
Saxonici similiter Juliacenses ob territorii proprietatem
equitatu suo praecedere vellent, neque per Caesarem nego-
tium expediri posset, usque dum Juliacensis Dux prorump-
peret, Saxonici, ne viderentur juri suo aliquid detraxisse ul-
tra quadrantem horae Regem ordinesque detinentes tandem
omnem comitatum in civitatem introduxerunt.

Th. XVI.

Possimus jam quoque antequam ad Vicarium praelauda-
tissimi Electoris Sax. haereditarium transeamus, pluribus o-
stendere, quod itidem Gallicarum Regi, civitatem, ubi Par-
lamentaria sedes est, ingredienti Comes stabuli (conestable)
equitans gladium evaginatum dextrâ manu praefert, nec mi-
nus idem Comes Justitiae thronum ascendenti vel generali-
bus regni comitiis praesidenti regi assideat ante eum ad dex-
tram eundem gladium evaginatum tenens, *Limn. Notit. Regn.*
Franc. l. 2. c. 26. lit. F. p. 1010. Sed promissa dissertationis
brevitas in domestica potius exempla intentum monet, ut
neque hujus ullam amplius mentionem faciam; neque pro-
lixus sim in rationibus investigandis; Cur Venetiis in pro-
cessionem solenni Ensis non ante sed post Ducem feratur.

illeque non nudus, sed in vaginâ reconditus sit? cum illud, at innotescat usum gladii & auctoritatem dependere ab iis, qui Ducem sequuntur (Senatores sc. & Optimates Reip.) fieri his verbis ostendat. *Pierre Matthieu liv. 3. de l'histoire de Louis XI. p. 162.* C'est pour monstrier, que l'usage de l'épée & l'autorité dépend de ceux, qui le suivent. Quin imò silentii velo planè involvo. Electoribus ad Regis Rom. electionem se conferentibus non modò extra Ecclesiam, verùm etiam in illa gladios quoque præferri; quia illud ex descriptione actuum istorum lucidissimè patet: Ita enim Anno 1562. Als die Chur-Fürsten aus Ihren Herbergen auff den Römer geritten / hat sich ieglicher derselben sein Chur-Schwerdt in der Scheiden vorführen lassen/ und darauff nachgeritten. *Goldast. part. 1. Politischer Reichs-Händel in descript. electionis Maximiliani II. c. 8. p. 66.* und hernach hat ein ieder sein Chur-Schwerdt vor sich gehabt *2c. p. 67.* *Et in descriptione Electionis Matthie. d. part. 1. annot.* In der Kirchen erschienen vor dem Altar die Chur-Fürsten / den End vor der Wahl zu præstieren/da ein ieder derselben seinen Marschall mit dem Schwerdt in der Scheiden fürgehend gehabt / dem Brandenburgischen Gesandten aber ist kein Schwerdt vorgetragen worden. *conf. Metter. contin. in ead. Elect. Cas. Matth. A. 1612. p. 6.*

Th. XVII.

Quare recto tramite ad ipsum hæreditarium Imperii Marschallum, Cujus officia ac jura explicant pluribus *ex Sixto Sommero Carpz. ad L. R. c. 10. sect. 6. num. 28. & Limn. T. 5. J. P. in addit. ad l. 3. c. 7. num. 75. p. 177.* Item *Schutz. Coll. I. P. disput. 10. thes. 11. per tot. propero.* Perinde enim ut subtracto terris fulgentissimo Solis jubare Luna mutuatitio lumine suo in vicem quasi succedit præ reliquis stellis; Ita etiam absente in solennibus Imperii actibus Seren. ac Potent. Electore Vicarius ipsius Ensiser Illustrissimus Comes de Pappenheim præ omnibus aliis prærogativam Imperatori gladium præferendi habet. Quippe, cum non minor Vicariorum & Subofficiariorum Imperii dignitas sit *Carpz. l. c. n. 16.* quæ & privilegia sua redivusque certos habet annexos

nexos in in *A. B. c. 27. n. 6. nec non specialiter confirmatos*
in Capitulatione. *Carpz. d. c. 10. pr. n. 15. Cubach. ap. Arum.*
Vol. 2. disc. 35. c. 27. n. 10. seq. Freher. ad Andlo. 2. c. 15. Lehm.
7. Chron. Spir. c. 124. §. Wo aber aus x. Limn. 3. I. P. c. 7.
n. 73. Arum. d. Comit. c. 6. n. 45. Schutz. Coll. I. P. d. 7. th. 45.
l. A. §. B. hinc ortâ inter absentium Electorum Legatos, &
Vicarios super administratione dictorum Illustrium officio-
rum controversiâ, pro Vicariis observantiâ decisum putat.
Carpzovius d. c. 10. sect. 6. n. 18. §. 19. Ubi non modo in
Coronatione Caroli V. Anno 1520. Subpincernam Baronem de
Limpurg adversus Regis Boh. legatum obtinuisse ex Goldasto,
sed ex Mauro quoque Sub-Mareschallum de Pappenheim.
Principi Anhaltino Friderici Electoris Legato prælatum re-
fert, idemque in Coronatione Matthiæ non Ferdinandi II. &
Ferdinandi III. Impp. observatum esse. Quin imo *A. Bulla*
l. c. Electoribus absentibus expressè subofficiales, nullâ Lega-
torum mentione factâ, surrogat.

Th. XVIII.

Neque minùs certum est Curia vel Aula Mareschallum
Pappenheimio quoque cedere; & non nisi hujus absentis
officio ab Imperatore præponi. *Limn. ad A. B. c. 27. §. 1. ob-*
serv. 10. & c. 29. §. 3. §. 4. Schutz. Coll. I. P. d. 7. th. 25. l. A.
Arum. d. Comit. c. 6. n. 46. §. 51. Rumel. ad A. B. part. 3. d. 4.
thes. 23. Licet enim aliquando Aulæ Cæsareæ ministri
subofficiales Imperii hæreditarios & imprimis Pappenhei-
mium speciosis distinctionibus excludere tentaverint, ut in
funere Ferdinandi A. 1565. *Limn. T. 1. I. P. l. 3. c. 7. n. 75. v.*
Bevorab. weil x. pro his tamen iterum expressæ Imperato-
rum declarationes latæ sunt. Ann. 1566. & Ann. 1593. Qui-
bus insuper accedit ipsa subordinationis natura, & exinde
subsecuta consuetudo non interrupta; ut pluribus docet
Limn. l. c. §. Denn / daß Sie x. conf. Discurs. ap. Besold. de
prærogat. sess. c. ult. n. 4. Arum. d. Comit. c. 6. n. 44. seq. Imò
Capit. Ferdin. II. §. 41. Ferdin. III. lis ita decisa est, ne aliter,
quàm certis in casibus Officiales Imperatoris in hæreditario-
rum Imperii subofficialium vices substituantur.

Ad eos qui ob dignitatem Jus gladiatorum ferendorum habent, referuntur quoque Equites, qui cum gladio investiantur eoque cinguntur, tam in testimonium operæ strenuè præstitæ, quàm ad rem imposteram fortiter gerendam. *Decianus tract. Crim. l. 1. c. 3. n. 40. § 42.* His accensentur & Nobiles, qui, cum milites sint & Vasalli, prompti semper, cum gladiis suis esse debent. *Guid. Pap. decis. 384. in addit. l. B. Bon. de Curtil. tr. Nobilit. part. 3. n. 58.* & periclitanti superiori succurrere. *P. Berlin. de re militar. p. 2. tit. 3. conf. Phil. Honorius de relat. de regn. Gall. & Cl. Sefellius de Regn. Gall. l. 1.* Hinc est, quod vocentur die Ritterschafft / & Jure Sax. maribus hæredibus res expeditoriæ das Heergewette / præcipuè assignentur. *Wesenb. parat. de suppellect. legat. n. 4.* non obstante, quod *Menoch. 4. præsumpt. 160. n. 22.* arma J. Civ. in supellectili esse neget per *l. 3. §. 2. π. de Supellect. leg.*

Th. XX.

Quamvis autem dignitatem hanc fundamenti instar Virtus militaris generisque prærogativa ceu tradux ejus & propago conciliet, inde tamen malè segregantur novi nobiles, qui egregiis factis ultra vulgi se provexerunt subsellia; dum complures pro nobilitate virtute comparatâ pugnant rationes, quas disertè edisserit *Autor du Catechisme Royal imprime a l' An 1645. p. 46. § seq.* Ibi: Nous voyons souvent, cette Noblesse naissante, qui s' est fait elle même par sa propre vertu, ressembler a ces maisons neuves, dont les avenues sont belles & bien allignees, & dont la veüe & la demeure est plus riante & plus commode que celle de ces vieux chasteaux negligez, qui sentent la rance & le reclus, & qui sont decheus avec le tems par la faineantise des possesseurs de cette premiere beauté, qu'ils avoient &c. Equidem non de nihilo, singulare quippiam in antiqua nobilitate notari, omninò reor. Quippe si nobilitas nova potentia publicæ opus est, antiqua potentia hujus & temporis simul filia erit. Hinc quod *Claudius Sefellius* in aureo de Rep. Gallicâ libello è ratione statûs Gallici, qualis tùm fuit, fore existimat,

mat,

ma, si præ aliis, summis dignitatibus Nobiles iisdem digni
& rebus agendis pares admoveantur. Sic ad Torneamenta
celeberrimos istos, quos primi Germanorum Imperatores
instituerunt, equestres ludos admittebatur nemo, nisi qui
incorruptam majorum Nobilitatem ex quatuor minimum
avis paternis & maternis, omnique præterea vacuum probro
ac dedecore vitam prius Judicibus approbasset. *Buch. Orat.*
10. p. 269. Et hodiernum in Gallia Equites S. Spiritus No-
bilem patrem avum & abavum numerare tenentur. Nec Ca-
nonici Cathedralis officio potiuntur nisi avitâ nobilitate
gloriosi. Sed hæc tantum plus splendoris in majorum no-
bilitate reperiri, non verò Nobiles novos pro nullis ha-
bendos esse evincunt, cum substantia rei in singulis omni-
nò eadem sit, & propriè sua quemque Virtus verè nobilitet.
Imò majoris quasi Virtutis opus fit, generi suo lumen Nobi-
litis accendere, quàm acceptam à majoribus conservare.
Inde enim, disertissimus ille Romuli nepotum, quod omnia
incrementa sua sibi debuerit, novitatis nobilissimæ vir di-
citur. *Vellej. Paterc. l. 2. c. 34. n. 3.*

Th. XXI.

Neque ignotum est, quod apud Augustum, maximum
illum omnis ævi ac gloriosissimum Principem, M. Agrippæ
& Statilio Tauro novitas familiæ minimè obstiterit, quo mi-
nus ad multiplices Consulatus triumphosque & complura
eniteretur sacerdotia. *Id. l. 2. c. 127. n. 1.* Quin inveteratus
plane ac perpetuus Romanorum mos fuit putandi; quod
optimum sit, esse nobilissimum. Nam & illi antiqui ante
bellum Punicum primum T. Coruncanium, hominem no-
vum tum aliis omnibus honoribus, tum Pontificatu etiam
maximo ad Principale extulere fastigium, & post equestri
loco natum Sp. Carvilius mox M. Catonem novum etiam,
Tusculo, urbis inquilinum, Mummiusque Achaicum in
Consulatus, Censuras, & triumphos provexere. Et qui C.
Marius ignotæ originis, usque ad sextum Consulatum sine
dubitatione Romani nominis habere Principem; qui que
nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo
cum.

cum sudore consequendum foret, profectò hoc senserunt; in cujuscunque animo Virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Nec defuit his argumentis, quæ ut palmaria in conferendis dignitatibus, laudat *Lips. 3. Polit. 10.* eventus felicitas & salus publica, quam ingentem modo dictis novis hominibus Romani debent, adeò ut ubique hi tales viri memorentur, veluti divinitus publicæ salutis custodes & auctores dati. v. *Tac. 11. A. 24.* Utri verò præstantiores sint habendi; novi homines, qui ex se inclaruere, aut qui vetustæ nobilitatis stimulis & instrumento usi claritudinem conservare, neque dijudicatu adeò facile est, neque nostrum hoc loco est inquirere; videri tamen de illa quæstione potest, *Osorius l. 2. de Nob. Civ.*

Th. XXII.

Nos enim properamus & velut ex diverticulo redeuntibus dicimus, quod etiam ob dignitatem Virtute civili partam, aliqui gladio, tanquam honorum insigni. utantur. Ut primo Doctores. *Coll. Argent. ad L. Jul. d. vi publ. th. 3.* & alleg. *ibid. arg. l. ult. C. de præpos. S. Cubic. lib. 12.* (quod argumentum usurpant *Limn. l. 8. J. P. c. 1. n. 119. Walther d. privileg. DD. c. 15. quest. 62. p. 282.*) Equiparantur enim, quia scientiâ illorum illustratur mundus, *Auth. habita, ne filius pro patre.* passim *Nobilibus l. 7. Sibi Pac. in Analys. C. de postul. conf. R. A. su Aluspurg A. 1500. sub Tit. von Überflüssigkeit der Kleider. §. Item die von Adel/ so noch nicht Ritter oder Doctores sind/ junct. §. preced. & seq. It. Reformirt gute Policeny-Ordnung A. 1530. sub rubr. vom Adel/ & sub Tit. von Doctorn. & reformat. A. 1548. sub iisd. rubr. & non tantum sine speciali Imperatoris permissione alia nobilium insignia adhibent. *Nolden. tract. de stat. nobil. th. 38.* sed etiam in *Cam. Imp. Spirensi*, ubi dimidia pars assessorum est ex ordine Equestri, loco nobilium admittuntur *Ordin. Cam. part. 3. §. Desgleichen sollen re.* atque in eadem paribus stipendiis cum nobilibus fruuntur. *Ord. Cam. p. 1. tit. 43.* Imo ex communi sententiâ, qui per viginti annos Jura publicè docuerunt, illustribus annumerantur & comitivam meruerunt. *l. un. C. de Profess. qui in urb.**

Con-

Constant. ibique Cujac. conf. Bart. rubr. proce. n. 5. Jaf. in
l. 1. n. 12. de offic. ejus cui mand. est jurisd. Sagittar. d. Comitib.
Palat. th. 6. § 7. B. Linn. l. 8. I. P. c. 3. n. 41. Mund. d. Comit.
Palat. c. 3. n. 220. Crull. in collat. prift. § moderni Acad. statũs
n. 23. seq. Lym. in annot. ad Capitul. Ferd. III. 47. p. 791.
Wesemb. 1. Conf. 40. n. 50. prout hanc communem esse testa-
tur Arum. 3. disc. Acad. 18. th. 29. Vol. 2. del. publ. disc. 4. Me-
noch. de Arbitr. Jud. Cent. 1. cas. 68. n. 43. nec restringenda,
d. l. un. tantũ ad Professores Urbis Constantin. cum ratio
legis generalis sit. Benius de privil. Jurec. p. 14. Bulla disc. 1. p.
98. Licet Moditius in §. 8. J. d. J. N. G. § C. dub. 17. n. 9. ad
ordinarias lectiones extra Institutiones hoc restringat.

Th. XXIII.

Hinc videtur nata consuetudo quarundam Academiarum,
ubi Doctores in ipsa promotione gladiis cinguntur, vel iis-
dem, ut in hãc Inclutã Salanã accincti promoventur. Sunt
autem tres distincti gradus. Primus Baccalaureorum, qui à
Bacca laurea nomen accepisse videtur, ordinique scholasti-
co proximior quàm Doctorem. Secundus est Licentiatõ-
rum, qui insignia nondum susceperunt, electi tamen & au-
ctorati sunt: inque favorabilibus actibus Doctorem loco ha-
bentur, arg. l. pen. n. d. Testam. mil. conf. Nold. d. tr. th. 27.
Matth. Steph. l. 3. de Jurisd. part. 2. c. 14. n. 96. Idcirco ipsis
quoque hæc facultas est, & in Academiis quibusdam permis-
sum accincto gladio disputationem inauguralem defende-
re; Non obstante l. un. C. ut armorum usus, quam Tiraquell.
c. 20. de Nobil. n. 69. objicit, quia ista lex non de causariã &
honorariã; sed tumultuariã ac temerariã gladiatorum gesta-
tione loquitur. Minus verò contrariatur l. ult. C. præpos. S.
Cubic. præterquam enim quod ea de diverso planè agit sub-
jecto, cinguli quoque gestatio aliorum spectat.

Th. XXIV.

Hic præferri debebant Consiliarii Principum, Assessores,
Legati &c. quos illustris vocat Angel. in l. 5. C. ad L. Jul.
Majest. Jaf. in l. 13. D. d. offic. ej. cui m. est. jur. Corset. d. reg.
potest. quest. 21. fac. text. in l. 1. ibi quos nostri lateris comi-

C

tatus

tatus illustrat, C. d. prepos. v. tamen Menoch. 2. arbit. cas. 68. n. 35. Censentur enim pars corporis Principalis esse l. 5. C. ad L. Iul. Majest. & cum ipso Principe unum quasi corpus constituere, Hieron. Gig. tr. de crim. les. Maj. sub rubr. qual. & à quib. crim. les. Maj. committ. q. 14. Dicuntur itidem Patres & amici Principum §. 4. l. quib. mod. part. potest. solvit. l. 4. C. d. jur. & fact. ignoc. ipsisque inhærere sicut stellæ firmamento Bald. in l. 7. d. bon. qua lib. in pot. const. ex matr. Vel Principes ita decorare reputantur, prout decorat, splendor firmamentum Cœli arg. c. super specula x. d. Magistr. & sicut radii solares solem c. multi de pœnit. dist. 2. conf. Ludolph. Schrader d. Feud. part. 10. sect. 2. n. 24. Neque minus eò spectant Advocati & Procuratores Principum, majorumque Curiarum, quia in privilegiis cum Consiliariis comparari solent, Peck. d. jur. sistendi c. 5. n. 81. per l. 14. C. d. Advoc. divers. judic. conf. Wesenb. parat. D. de Procur. n. 10.

Th. XXV.

Nunc ordo tangit Medicos, quibus, si Principum Medicum sint, hanc facultatem tribuit Ant. Fab. in Cod. suo l. 9. t. 29. de fin. 11. quia dignitatem haberent: Cæteros autem de fin. 9. utcunque Professores sint, vel aliàs morborum saltem curationibus insistant, neque nobiles esse, neque ullâ claros dignitate; sequendo gloss. in rubr. C. d. Prof. & Med. autumat. Unde sequeretur gladii gestandi potestatem eos sibi arrogare haud posse. Sed tutius est ab hujus sententia recedere per l. 1. §. 1. d. var. & extra ord. cognit. l. 6. & tot. tit. C. de Profess. & Med. conf. Cephal. 1. Consil. 117. n. 23. Roland. à Vall. 3. Consil. 67. n. 8. Simanc. lib. 1. de Republ. cap. 10. & Simbald. Ubald. de Nobilit. axiom. §. 1. & duob. seqq.

Th. XXVI.

Philosophos quod attinet, isti, cum pallium olim imprimis apud Græcos, proprium ipsorum schema fuerit. Autor Mantissæ ad Tertull. d. pall. p. 145. & 149. gestationem gladiatorum, ut contemptores honorum & ab his rebus alieni, l. 6. §. 7. & 8. D. d. excus. Tut. l. 1. in f. C. d. Profess. & Med. non affectant, cum desiderium hoc ab eorum professione discrepat,

pat, l. 6. C. d. muner. patrim. l. 1. §. 4. d. var. & *extraord. cognit.*
l. 8. §. 4. d. vocat. muner. Neque Poetæ quâdam præroga-
tivâ gaudent, l. 3. C. d. Prof. & *Med.* quam l. 3. tamen *Mun-*
dus non de Poetis artem facientibus aut profitentibus, uti
inscriptio requirit; se versificatoribus & Ludionibus explicat,
in præfat. tr. d. Comitib. Palat. De quibus Satyricus ille Gal-
lorum ingeniosissimè nequam dicit. C'est un grand avanta-
ge pour la Poësie, que d'être fou. Unde rectius forsitan
Arumæus tr. de Comitib. c. 6. n. 75. leniorem ex ipsis textûs ex-
positionem afferre sustinet, putatque Poëtas egregios ab o-
mni planè immunitate non excludi, sed à prærogativâ sal-
tem, quam ipsi, favore atque suffragiis aulæ freti, præ cæteris
etiam in privilegiis immunitatem affectabant.

Th. XXVII.

Ob togatam virtutem in dignitate quâdam constitutos
denique excipiunt, studiosi per gradus ad honorum fastigia
tendentes, qui aut veterani sunt, aut recentiores; Illi vel ad-
huc in castris Musarum degunt, vel extra pomeria Acade-
miarum versantur. Qui in Academiis adhuc commoran-
tur, iussibus Rectoris Magnifici meritò obsequuntur. *v. Linn.*
l. 8. I. P. c. 6. n. 105. Quare si ab ipso ex Senatûs Academici
consilio gestatio gladiatorum interdicator; abstinere ab iis-
dem omninò fas est, nisi speciale Superioris Magistratûs in-
dultum ab ejusmodi prohibitione liberaverit: Si verò nihil
reperiatur interdictum, tacitâ consuetudine gladiatorum gesta-
tio invalescere potest, *Coll. Arg. ad L. Iul. de vi publ. thes. 3.*
conf. Linn. d. l. n. 92. Cæterum, utut in aliqua Academia
prohibita sit gladiatorum gestatio, primi tamen dies, quibus
aliquis de loci opportunitate circumspicit, vel de mansio-
ne deliberat, non computari solent, quia adhuc pro iter-
faciente habetur, *v. Voss. l. 8. de vit. ferm. c. 11. p. 107.*
Quin & nocturno faciliùs gestatio illa toleratur tempore,
cum ob fortuitos potiùs casus, quàm ex contumacia præsu-
matur, l. 10. §. l. pen. §. ult. D. ad L. Iul. de vi publ. adeò ut
exinde defendi aliquatenus posse videatur mos quarundam
Academiarum, ubi diurnæ digladiationes præcedente mutuâ

Franciol.
6. p. 432.

provocatione ante urbium portas factæ severiùs puniuntur, quàm nocturnæ, cum istæ ex proposito malo hæc fortuito accidant. Neque obstat, quod nocturna aliàs delicta diurnis atrociora habeantur, quia h. l. non de adjuncto delicti jam constituti, sed de delicto formaliter constituendo sermo est.

Th. XXVIII.

Viventibus extra Academiam Veteranis gladios gerere permissum, nisi statutum loci cives omnes inermes esse præcipiat: quod itidem intelligendum, si domicilium figant. Quod si verò hoc non constituerint, pacatè decenterque viventes, ut florentissimi honorum Alumni, ab hoc auctoremento honoris non arcentur, *arg. l. 5. §. ult. de Capt. Et postlimin. revers.* ibique *Lucas de penna l. 2. C. de privil. schol.* Unde & statutis locorum nonnullibi æquè ac Doctoribus gladio incedere licet studiosis, si visitandorum amicorum aut negotiorum causâ in patriam revertantur. Quod tamen à *Luc. de Pen. d. l.* ita limitatur, si non otiosi in patria vel alibi circumvagentur per *l. 35. ibi dum domi sit, Et l. 38. §. 1. ex quib. caus. maj. 25. ann.* Et pacatè se gerant, quod in dubio, facturi præsumuntur, *arg. Cap. ult. x. de præsumpt. l. f. C. ad L. Jul. repetund.* Iis verò, qui per quinquennium ab Academiis abfuere hæc facultas denegari solet; quod studiosorum privilegia post hoc tempus exspirent, *l. 2. C. de primicer. vers. qui vero per quinquennium Et l. 3. C. de domest. Et protect. conf. Bald. ad Auth. habita n. 25. ibique Cupener. Rebuff. privil. 33.* Quamvis enim citati textus de studiosis non nominatim loquantur, uti *Hunn. tr. de privil. stud. quest. ult. p. 175.* opponitur argumentum tamen à Palatina militia ad reliquam literaturam in hac quoque absentia materiâ ducitur rectissimè. *l. ult. C. de Advoc. 2. junctâ l. 2. C. de comœatu.* Nisi tamen ejusmodi absentes dignitas & vera eruditio ita recommendet; ut Doctorales etiam honores mereri videantur atque ita mox cingendi pro jam cinctis hac in parte habere possint. Aut nisi se studiorum gratia peregrinatos fuisse probent, vel quinquennio elapso nomen suum matriculæ de novo inseri petierint, *Gothman. resp. Acad. 14. n. 23. & Rebuff. de privil. Schol. 147.*

Th. 50.

Th.

Th. XXIX.

Posset tandem in materia horum privilegiorum de nuntiis & famulis studiosorum aliquid subjungi; Sed temporis ratio festinandum jubet, præsertim, cum aliud sit in privilegiis, quæ dignitatem, aliudque in iis, quæ securitatem respiciunt, ut in his, non item in illis servi dominorum beneficiis fruantur, v. *Hunn. d. tr. de privil. stud. c. 2. quæst. 8.* Ideò illa tantum, adjicere satis erit, hujusmodi hominum genere *Bernegg. qq. misc. ad Germ. Tac. q. 66.* scribit: Minus probandum illud videtur, quod hodiè nonnunquam cernimus, pœnè pueros accingi gladio, quorum quidem lateri s. mavis tergori fasces illi sed sine securibus, multò hærerent aptius.

Th. XXX.

Consideratis, qui vel potestatis vel dignitatis causâ Enfiferi dici possunt, succedunt jam, qui necessitate muneris tales sunt. Nempe milites in genere tam eminentiores, ut variorum ordinum Equites & Præfecti militum, quàm inferiores, *Nov. 17. c. ult. conf. Dan. Ott. Iur. publ. c. 19.* Hoc etenim sine Romani quondam milites cingi consueverunt, *l. 25. l. 38. l. 43.* ibique *Godofr. D. de Test. mil.* Zonâ videlicet appenso ense, *Briffon. 2. antiquit. 7. Bocer. l. 1. de Iure bell. c. 11. n. 5. Duar. ad T. π. de Test. milit. c. 5. Viglius in rubr. Inst. de Test. mil. n. 18. Connan. 9. comment. 5. n. 8.* quo intendebatur, non nisi eum membris gladios amittendos esse; ut *Cicero* de suo tempore prædicat. *2. Tusculan.* cum amissus ad Dominum postliminio non revertatur ob turpitudinem amissionis, *l. 2. §. 2. π. de captiv. & postlim. revers.* Hinc gladius militis non tantum non pignori capi, *arg. l. 14. D. de re milit. Gl. in l. 125. D. de V. S. Coll. Arg. ad T. π. quæ res pign. th. 2. n. 12.* Neque à creditoribus in executione invadi potest, *l. 6. pr. D. re judic.* quia ipsis ut scholaribus libri & Clericis breviarium, relinquere debet, *Coler. de process. execut. part. 2. c. 3. n. 134.* Sed & ipse gladium alienans gravissimo criminis supplicio desertori exæquatur, *l. 14. §. 1. D. de re militari. Luc. de Penna in rubr. Tit. C. de fabriciens. conf. Caroli à Mansfeld. Magisterium militare tr. 2. part. 2. c. 3. p. 169.* Cæterum facultas ferendi gladii //

cum aliis juribus ac privilegiis militibus tantum, quamdiu in castris degunt ac pugnant; non verò si extra militiam constituti sint, concessa videntur, arg. l. 8. D. de excus. Tutor. §. 3. Instit. de milit. Testam. l. pen. D. eod. l. f. C. de restitut. milit. Quamvis Tiraq. de Nobilit. c. 20. n. 68. §. 72. emeritis militibus gladii, gestationem concedat, quod de Præfectis fortè, & quos eximia dignitas, post expletos militiæ sudores, manet, intelligendum erit.

Th. XXXI.

Quæ autem de militibus dicuntur in specie ita dictis, ad Vasallos quoque pertinent, 2. Feud. 21. Quorum loco quondam fuerunt Nobiles, quibus ideò Feuda data sunt, Besold. l. 1. Polit. c. 7. th. 3. adeò ut (secus ac hodiè, ubi fœmina quoque Feuda, quorum exempla ap. Myler. de Princip. §. Stat. Imp. c. 24. extant, dantur, 1. Feud. 8.) nemo feudum accipere potuerit, nisi militiæ fuerit capax, sicut ex Reusn. disp. 3. th. 92. ostendit Magnif. DN. Petr. Mullerus comment. de Osculo S. c. 4. n. 40. ubi in sequentibus quoque de osculando à Vasallis gladii cono pulcherrimè differitur. Indeque Nobiles, qui sunt, antiquitus milites, nunc etiam Equites, ab equestri fermè, cui obnoxii sunt, militiâ appellantur, Crom. de Reb. Pol. l. 1. Præter milites tamen ad gladios gestandos officii necessitate adstringuntur quoque ministri Magistratum, quibus hi tam ad securitatem, quàm executionem utuntur. v. Keckerman. disp. 34. quest. 5. Farinac. crim. quest. 108. n. 99. seqq. Bodin. de Rep. l. 4. c. 1. Clapmar. de arcan. Rerump. l. 3. c. 14. & Socin. reg. 7. allegans l. arma ad salutem. §. f. D. de off. præf. vigil. ubi Bald. hanc materiam tractat, quæ tamen est l. nam salutem 3. §. 3. D. d. t.

Th. XXXII.

Ultra hæctenus recensitos quibusdam aliis insuper potestas gladii gerendi permittitur ob necessitatem publicam, ex constitutione Imp. Theodos. & Valent. in lib. Novell. Imp. Theod. tit. 20. p. 545. Quin post venationem & iter tam maritimum quàm terrestre gestanti gladium excusationem præstat, l. 1. D. ad L. Iul. de vi publ. Pet. à Plaza in epitom. delictorum. l. 1. c. 8. u. 13.

n. 13. *Andr. Sicul. in tr. de Card. leg. à latere in 5. q. n. 18. vers. solet tamen.* quod quando ad Mercatores trahitur & eos negotiandi causa provinciam pertransientes gladios suos sellæ alligare super vehiculum ponere posse, dicitur 2. *Feud. 27. §. 5.* non quasi arma ligata, quæ adversus repentinos insultui non tam facile expediri possent, gestare debeant, sed ita intelligendum putat *Menoch. de Arbitr. Iud. l. 2. Cent. 4. cas. 394. n. 65. seq.* quod si equis vehantur, possint gladios ephippiis annectere, aut si vehiculis utantur, in illa eosdem reponere atque pro necessitatis ratione in hostes ac prædones commode vertere.

Th. XXXIII.

Ense considerato, illisque expositis, qui ejus jus concedunt, *Forma.* eoque ipsi utuntur; formalis ratio efflagitat, ut videamus, quomodo gladii usus, concedi eodemque postea quis rectè uti debeat. Et in priori quidem DD. communiter autumant, expressam opus esse concessionem, neque sufficere si id Princeps sciat. Dum nituntur *l. un. C. armorum usus*, ubi Impp. expressè asserant; nobis insciis ac inconsultis &c. Ex quo infertur: Si requiritur consilium Principis, expectanda responsio, quæ tam negativa, quàm affirmativa esse potest. Ut ut verò hæc assertio Juri Civ. non sit dissentanea, moribus tamen hodiernis non respondet, cum contraria consuetudine gladii gestatio variis in locis recepta sit: adeoque gladii usus vel expressè vel tacitè concedatur. Et quidem expressè ab eo, qui conferendi potestatem habet. *v. Magerus de Advocat. armatâ. c. n. 591. §. n. 626.*

Th. XXXIV.

Modi autem expressæ hujus concessionis tam varii sunt ut annumerari iis quoque possit ea cingendi ratio, quâ Equites quondam finito prælio, qui strenuè se gesserant, fiebant à Principe vel ejus legato. *Vincent. Lucanus de Magistr. & præfect. Francor. lib. 1.* qui hodiè potissimum post coronationes Regum creantur, percussis evaginato gladio leviter eorum humeris, *Dan. Otto d. I. P. c. 10.* confer de Rege Poloniz *Cromer. lib. 1. Polon.* ubi hæc verba reperiuntur: Deinde (post corona-

ronationis solennia) versus 4. mundi plagas Rex gladium
vibrat, rursusque residens ejus contactu sive leni ictu inter
scapulas cujusque Nobiles Equitesve auratos creat, quod
perinde est, ac si baltheo militari donet. Tale quid & in re-
gno Hungariæ, Angliæ aliisque observatur, v. *Thom. Smith.*
l. 1. de Reg. Angl. c. 17.

Th. XXXV.

Evidentiùs huc pertinet mos ille Principum atque No-
bilium, quo ministris suis perfectæ ætatis robur adeptis im-
pacto colapho his verbis: Das leide von mir und von keinem
andern / donato gladio, jus illum gerendi conferunt, *Besold.*
Thes. pract. in voce Wehrhafft machen / Schönborn. Polit. 6. 13.
Ros. Antiq. Rom. 1. 20. conf. Nolden. de stat. nobil. 6. n. 73. qui
hoc non nihil antiquam manumissionem (de qua vid. We-
senb. parat. D. de manumiss. n. 2. & DD. ad §. 6. I. quib. mod. patr.
pot. solv.) sapere existimat. Cæterum inpingendo colaphum
significant puerilibus nugis nunc finem esse impositum eos-
que ex priori potestate dimissos. Nec incommodè eò re-
fertur ritus Germanorum ab antiquis ap. Tac. de morib. Germ.
c. 13. (ubi Lips. & Bernegg. v.) & P. Pythæum adversar. subse-
civ. c. 1. desumptus, quando Nobilibus Germ. jus gladii con-
ceditur, in quo alapa non minus quàm in veteri emancipatio-
ne, (cujus ratio in l. ult. C. de emancip. ibique in not. Godofr. &
Nov. 81. itidemque ap. Isidor. l. 9. c. 4. & Dracon. de patric. c.
5. n. 57. habetur) intervenire solet.

Th. XXXVI.

Illam verò præcæteris expressa concessio dici potest, quan-
do edicto publ. vel præconis voce gladii civibus indicuntur,
sicut de Helvetiis *Bodinus* recenset p. 141. conf. *Machiavell.*
Princ. c. 20. v. nunquam, & A. Matthæi ad l. 48. D. t. 4. c. 4. de
vi publ. & priv. n. 1. p. 510. f. vel alicui ex speciali Superioris
gratia ac privilegio contra commune interdictum hoc jus
permittitur, ut secundum nonnullorum opinionem videtur
in l. f. C. de præpos. Sacr. Cubic.

Th. XXXVII.

Tacitam gladiatorum concessionem quod attinet, fit illa per
usum

usum eorum, qui non diserte prohibentur, arg. *Novell. 89. c. 15. l. 37. § seqq. D. de LL. Colleg. Argent. ad L. Iul. de vi publ. th. 3. n. 4.* Cui insuper accedit patientia superioris, *Treutl. 1. disp. 1. th. 9. l. D.* quia ejusmodi consuetudo expresso statuto aequipollet, *Gravett. consil. 137. n. 233. § Consil. 241. n. 7. Curt. tr. feud. quest. 3. n. 5. per l. 32. D. de LL. ibique gl. § DD.*

Th. XXXVIII.

Ex haecenus dictis facilimè potest deduci, cujus gratia gladii gestentur ac permittantur; ob necessitatem nempe & securitatem. Necessitas est vel publica, ubi cum Hannibal ad portas est, omnibus indistinctè civibus tutandæ salutis publ. ergò exhibentur gladii, vid. *Joach. Scheplitz. ad consuetud. Brand. part. 3. tit. 26. n. 5. seqq.* vel privata, uti subeundi muneris gratia singuli gladiis instruuntur. Ad securitatem spectat peregrinantium justus metus, qui gladii præfidio avertitur, *Harprecht ad §. 1. de publ. judic. n. 8.* Imo & dignitas finis in personis honoratioribus est. Unde de Turcis narrat *Busbequius*, quod sinistrum locum, ideò quia gladius eum honestet, digniorem habeant, *Epist. Turc. 1. p. 29.* quod & Cyri quondam apud Persas judicium fuit, *Xenoph. l. 8. Cyropæd. & ex eo Briffon. de Regn. Pers. l. 1. p. 73.* Sed Europæi dextram latus ob libertatem spreta gladii existimatione dignius faciunt, *Chassan. part. 1. consil. 11. p. 5. Nolden. de stat. Nobil. 10. n. 81. Buxtorff. ad c. 3. A. B. th. 40.*

Th. XXXIX.

Paucis non minus tangendum, quod jure gestantes gladium multis incommodis eximantur, quibus isti subjacent, qui eundem contra prohibitionem sumunt, cum in his quibus jure competit ensis doli mali suspicio cesset, arg. *l. 1. §. ult. D. ad L. Iul. de vi publ.* Etiam si in loco illicito gestent, quia præsumptio Juris nihilominus pro iis pugnat. Quamobrem hujusmodi notoriè privilegiatus non modo ministris qui eum aggredientes discingere volunt, de facto resistere potest, præcipue si sine speciali Magistratû mandato id fiat, *Decian. l. 8. c. 3. n. fin.* sed & ipse Judex, qui tale quid jussit, conveniri injuriarum ab eodem posse videtur, arg. *l. 33. D. de injur. § famos. libell.*

D

quia

quia non secundum bonos mores hoc fit, qui tamen in d. l. à
Judice requiruntur. conf. l. 13. §. 2. & 6. Eod. & Wesenb. de
injuriis n. 5. adeò, ut apparitor quoque qui aliquem hujus or-
dinis discinxit, de vi conveniri possit, juxta Anton. Fabr. in C.
suo ad L. Iul. de vi publ. & priv. desin. un. & Molina d. 4. disput.
15. n. 2. confer. insuper Bart. in l. 5. C. de jure fisci. & in l. 6. C.
de Profess. & Med. ut & Decian. d. l. n. 53.

Th. XL.

Contraria.

Cum contraria, ut notissimum, juxta se posita clariùs elu-
cescant, coronidis loco etiam de contrariis quædam subne-
tenda erunt. Repugnant autem primò juri gestandi gla-
dii statuta prohibitoria, quæ absque dubio obligant subditos,
nisi superior aut universitas atque consuetudo inveterata
(quæ statuto potentior illa filere jubet, Menoch. de A. I. Q.
cas. 25. n. 49.) cuidam hanc facultatem concesserit, tunc enim
speciali inferiorum statuto vix quicquam derogari pote-
rit, Socinus & alii Tom. 1. Regul. Jur. p. 97. præprimis, quo-
niam privilegia ob bene merita in aliquem collata ne qui-
dem à Superioribus absque prægnanti & magnâ causâ re-
vocari possint, Enenkel. l. 2. de privil. c. 6. & l. 3. c. 7.
& 9. Quetta Consil. 13. Sed & torenses sive extranei obligan-
tur statutis, uti communiter probant DD. ad l. 9. D. I. & I. &
Alber. de Rosat. l. 1. quest. 7. de statut. quia subditi tempora-
les sunt. conf. Strauch. disp. de statut. à summo Princ. th. 35. Ut-
ut enim privilegia difficulter auferantur, & multò laudabilius
sit ea concedere, quàm concessa denuò adimere, juxta illa quæ
Conring. habet in disp. de privil. nihilominus tamen id fieri
posse suadente salute publicâ vix ambigendum. Cum in-
teresse, ut barbarâ voce utar, Reip. variet & restringat jus pri-
vatorum, arg. §. ult. I. de his qui sui vel alien. jur. sunt. Quam-
vis omninò diffitendum non sit, cautius procedendum cum
iis esse, qui verè incolæ non sunt, l. 3. C. de incol. l. 3. C. qui dari
tut. possunt. conf. Alderan. Mascard. de gener. stat. interpr. con-
clus. 6. n. 1. seq.

Th.

Th. XLI.

Deinde gladii gestandi jus extinguitur amissione digni-
tum ac functionum, quas quis sustinuit. Ita ob perpetratum
delictum Nobiles atque Doctores cingulo privari indicat
Reinking. l. 3. class. 2. c. 2. n. 11. Quod & de illis dicendum,
quibus ex certa ratione fuit concessum. Sublatâ enim causâ
tollitur effectus, nimirum si sit finalis, non verò si impulsiva,
juxta *gloss. ad §. 1. l. 1. D. de postul.* Quin imò abusus quoque li-
centiæ tollit usum, ut si quis licitè enssem ferens, eodem abu-
tatur per regulam, quâ ille privilegium perdit, qui concessâ
sibi abutitur potestate, *l. 9. C. de judic. Hippol. de Marsil. in pract.
crim. §. pro complemento n. 9.*

Th. XLII.

Sexui præterea sequiori gestatio gladiatorum contraria est.
Licet enim non adeò mollis aut debilis à natura effectus sit,
quin procacissimæ aliquando cujusvis armorum generis af-
fectionis exempla atque sic vel fortitudinis, vel audaciæ si-
milacra ediderit. v. *Just. de Amazonibus lib. 2. c. 4. & de
Spartanorum uxoribus l. 25. c. 4. Flor. l. 3. c. 3. de mulieri-
bus Cymbricis, Diol. 61. & Tac de mor. Germ. l. 3. de fœmi-
nis Germanis l. 10. hist. de Agriensibus in Hungaria, Natal.
Com. l. 6. de Senens. Famia Strada decad. 2. l. 2. Bell. Belg. p. 70.
de Trajectensibus & dec. 1. l. 7. p. 424. de Harmelensibus &c.*
illa tamen non, nisi in extremo necessitatis casu excusationem
inveniunt, & summum probant, quod defensio eis etiam ar-
mata manu concessa, non quod gestatio licita, & si hæc etiam
quibusdam non inconveniens visa sit, illud tamen imitan-
dum, quod cultioribus honestum & decorum est, non, quod
una atque altera gens approbat. Nam omninò remotum est
à pudore sexus, mulieres gladios gerere & virilibus officiis
jungi. *arg. l. 1. C. quand. mul. tut. off. §. l. 2. de R. I. uxoresque
à viris, non viros ab uxoribus defendi æquum est, §. 2. l.
de Injur.*

Th. XLIII.

Neque magis conveniens gladius est conditioni vitæ eo-
rum, qui divinis mancipati officiis sunt, *l. 53. §. 1. C. de Episc. &
Cler.*

Cler. Cum ipsos non modo ab omni strepitu cessare deceat,
Lancelot. l. 1. Instit. Iur. can. t. 49. Cujac. ad rubr. x. de vita &
honest. Cler. sed etiam ab omni gladiatorum usu exclusos pro-
bet, c. si quis dist. 36. d. l. 53. §. 1. adeò, ut gladios gestantes ir-
regulares efficiantur & excommunicentur, c. Clerici 2. x. de
vit. & honest. Cler. Unde Judex Laicus eisdem gladios au-
ferre potest, nec unquam restituere tenetur, Carol. de Grassis
de effect. Cler. effect. 1. n. 862. Quod in Gallia l. c. in Italia &
imprimis in regno Neapolitano, Ricc. Dec. Neapol. 48. 93. 209.
Hispaniâ, Covarruv. quest. pract. 33. resolut. ult. & Ducatu Me-
diolanensi hodiernam observatur, Chassan. super Consuetud. Bur-
gund. n. 79. §. c. conf. Jul. Clar. l. 5. recept. sent. §. ult. quest. 36.
n. 26. Quin interficiens ejusmodi armatum Clericum ad cu-
riam non mittitur, c. 23. x. de sentent. excomm. quia divino-
rum ministrorum arma preces & lacrymæ sunt, c. 23. q. 8. mi-
litantesque Deo secularibus sese negotiis immiscere nequeunt
Molina de brachijs Reg. c. 18. n. 42. Quamobrem Vasalli, quo-
que eo ipso, quod Religionis votum assumunt, gladios depo-
nere coguntur, nec eos unquam facillè recipiunt, 2. Feud. 21.
§. 109. Cum tamen defensio contra injuriam & vim natu-
raliter cuilibet sine omni penitus exceptione concessa sit,
l. 3. D. I. §. I. l. 45. §. 4. D. ad L. Jul. idcirco hîc quoque sum-
mus necessitatis casus iterum videtur exceptus, ut Clerici non
modo per loca periculosa transeuntes gladios ferre, ut proba-
tur c. dilecto. ibique gloss. de sentent. excomm. in 6. & in specie
tenet Anton. de But. in c. Clerici de vita & honest. Cler. quem
sequitur Soc. in Regula 30. in 6. fallen. hinc illud Poetæ:

Et latro & cautus præcingitur ense viator.

Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

Sed etiam contra vim tum patriæ tum sibi illatam gladiis
aliisque armis se defendere, c. 6. de sent. excomm. in 6. ubi gloss.
& DD. Menoch. de A. I. Q. cas. 394. n. 58. & inter sacra vim
extremam intentantem interficere, protinusve cœpta sacra
citra ullam irregularitatem absolvere possint, Zoannet. part. 1.
tripart. defens. n. 12. §. 13. Quod ita tamen accipiendum,
si in

si in actu defensionis gladios aliunde apprehenderint, secus si ipsi tulerint, eosque postea in actu defensionis usurpaverint, quia tunc de rixa ac bello cogitasse videntur, *Aloys. Riccius dec. Cur. Archiepisc. Neapol. 48. fin.*

Th. XLIV.

Arceantur præterea à gladiatorum gestatione nominatim, Mercatores, *l. un. c. negotiatores ne militent. 2. Feud. 27. §. 5.* quoniam mercatura dignitati officere ejusque exercitium nobilitati contrarium videtur, *l. 31. C. de locat. l. 1. C. de natural. liber. l. 3. C. de commerciis. ibique Comment. conf. quæ præter Bodin. 3. de Rep. 8. de mercatura plebejis relinquenda asserunt, Kirchner. disp. de Rep. 13. th. 1. P. Gregor. 4. de Rep. 7. n. 5. Mynsing. 6. observ. 54.* vel saltem quia generali legis prohibitione mercatores continentur neque in numero exceptorum, (sive dignitatis rationem sive muneris necessitatem respiciamus) reperiuntur; adeo ut in ipso quoque itinere Imp. Fridericus I. iis gladios tantum sellæ alligare, vel super vehiculum ponere, non verò accingere permittat, *d. §. 5. 2. Feud. 27.* Sed tamen de cætero, sicut aliàs in æstimatione dignitatis vis consuetudinis attenditur maximè *Guilielm. de mont. ferrat. tr. de success. reg. dub. 1. n. 26. Guttierrez. 4. practicabil. quest. 16. n. 137.* Sic etiam hic non omnino spernenda est, *Coll. arg. Tit. de exercit. ad. th. 4.* Ex quibus patet, quod de reliquis opificariis minus dubium fit, quin à gestatione gladiatorum Jure Civ. arceantur, maximè si alicubi locorum ut dignitatis insignie habeantur, *l. 6. C. de dignit.*

Th. XLV.

Hinc tantò magis ab isto honoris auctoramento excluduntur non modo famosâ sententiâ damnati ob vitæ scelus ac turpitudinem, *l. 2. C. d. Tit.* & bajuli, cerdones aliique abjectissimæ conditionis homines, *l. f. C. ad L. Jul. de vi publ.* Sed & jam Judæi omnium honorum atque dignitatum incapaces, *l. ult. pr. C. de Judæis*, (qui pro gladiis clavum s. anulum flavum gestare debent, *Ordinat. Polit. de A. 1530. tit. von Juden-Rledung*) & Hæretici *l. 1. l. 4. l. 7. & passim C. de Hæret.* Quibus adjunguntur denique peregrini, qui incapacitate

publicorum & civilium jurium gladios in Rep. portare prohibentur, v. *Godofr. ad l. 1. C. de hered. instit. Bodin. 1. de Rep. §. n. 47.* nisi quatenus Legationis, aliove munere cum dignitate conjuncto in ea funguntur.

Th. XLVI.

Sicut autem contrarietas in personis, ita nec minus illa in locis tam sacris, quam profanis reperitur. Intra templorum enim ac Monasteriorum septa gladios gestare sine Præpositorum licentia nemini licet, *Clement. 1. §. quia verò. vers. præfate.* & ibi *Cardinal. de stat. monach.* quod à supremi Numinis altaribus ac templis ad areas quoque, porticus, domos, cellulas hortulos & balnea, *l. 3. §. 1. C. de his qui ad Eccles. confug.* ibiq; *Godofr. verbo §. in cellulis &c. extenditur.* Sed nostris tamen moribus in Germania non solum gladiis accinctis (præterquam quod eosdem religiosiores & civiliores ad sacram Synaxin & susceptionem infantum è sacro lavacro accessuri deponunt) sacra frequentare licet sed & in pluribus Imperialibus Civitatibus omnes cives gladiis instructi sub pœna (sicut Argentorati mense Octobri 1643. factum) concionibus interesse coguntur, ut ad quoslibet casus subitos prompti inveniuntur, v. *Rittershus. de jure asyl. c. 7. n. 5. p. 106.* maximè si motus aliqui in provincia existant aut metuantur, vel hostilis exercitus oberret. Cæterum notatu dignum est, quod in *A. B. c. 2. §. 1.* à Serenissimis Electoribus Secularibus requiritur, ut Electione Rom. Regis Francofurti in templo D. Bartholomæi omnes cum tota familiâ tempore præstandi juramenti inermes coram altari consistunt. Quod an religioni datur, an securitati? an utrique? an libertati ferendorum suffragiorum? incertum est, cum commentatores locum istum sine ulteriori disquisitione prætermittant. Quod & *Limnæus*, quia præ cæteris aliàs diffusissimus est facit, *l. 2. c. 3. n. 41.* ubi Electionis ceremonias exhibet. Illud verò certum est, istud pessimi exempli prælium in Ecclesia Goslariensi inter Hildesiensis Episcopi & Fuldensis Abbatis ministros armatâ manu cum multorum cæde A. 1063. commissum

missum Cluver. in *Heinrico IV.* p. 504. *Godofred.* part. 6. *Hist. Chronol.* p. 549. Sequentibus Impp. cautelam hanc non immeritò suadere potuisse.

Th. XLVII.

Ex locis profanis; gladii inferendi non sunt Palatio Principis, arg. *Tit. C. de palat. § domib. domin. Laudens. tr. de princ. privil.* 632. l. 2. *Feud.* 27. *Angelus* in l. 9. *D. de vi publ.* conf. *Dio* in *Claudio*, *Xiphilin.* in *Nerone Tac.* 4. *Ann.* 21. 11. *Ann.* 22. § 15. *Ann.* 32. Sed ejusmodi tamen consuetudinem omisit *Vespasianus*, *Suet. Vit. Vespas.* c. 12. f. nec dum hodie *Aula Imp.* scrupulosè urget. v. *Autor Statús Regim. Imp.* c. 8. 64. Licet in aliis Aulis, ubi neque *Supremi Numinis* in his terris *Vicarii à mucronibus monstrorum sceleratissimorum* satisfacti sunt, etiamnum observetur sollicitè. conf. *Vincent. Lupan. de Magistr. Francor.* l. 1. *Tit. de Rege Ribaldorum § Preposito hospitii.* *Olear.* in *der neuen Moscauischen Persischen Reise: Beschreibung de Magno Muscovia Duce*, p. 27. *Adam Wenner* in *andern Theil Constantinop. Reise de Tyranno Turcico* p. 56. & *Hubert. Thomam. de Senatu Veneto.* l. 7. *annal. Friderici II. Palat.* 143. Cæterum an stante jure, ne *Ensem gestare liceat* in Palatio Principis, hoc & absente Principe sit intelligendum? contra negantem *Petr. Plazam.* l. 1. *epit. delict.* c. 8. asserit. *Menoeh. de A. I. Q. cas.* 394. n. 40. *Decianus* verò *tr. Crimin. lib. 8.* c. 3. n. 61. distinguit: An de palatio statutum demonstrativè, ut potestatis Palatium, vel conditionaliter, si aderit potestas, loquatur, istoque casu, ne absente quidem potestate, gladios inferre licitum esse, hoc verò, absente potestate, neminem pœnæ obnoxium fieri judicat. conf. *Tiraq. de Nobil.* c. 20. n. 65. qui simul adducit doctrin. *Bar.* in l. 2. f. *D. de auro § argent. leg.* & sequi dicit *Jas.* in l. *ejus*, qui in provincia, in *ultima col. D. si cert. pet.* & sequitur etiam *Plaza* l. c. n. 25.

Th. XLVIII.

Deinde Prætoria seu Curia, quia ut à reliquis affectibus, ita etiam à metu immunes esse debent, l. 3. *C. de metat. § epide- met.* gladios non admittunt. De Magistratu enim vel Senatoribus ita disposuit *Theodos. Imp. in Codice Theodos.* l. 14. tit.

tit. 13. l. 1. ne ullus eorum habitum sibi militare vi idica-
ret, sed deposito chlamydem terrore, quietam collobiorum,
& penularum indueret vestimenta &c. Quamvis lex ista non
tam speciatim ad Prætoria, sed ad totam Urbem Rom. spectat.
Horsum sanè afferri potest illud *Taciti l. 6. annal. c. 1.* ubi
cum Togonius Gallus Tiberium Imp. rogaret, ut Senatores
deligeret, quorum viginti sorte ducti salutis ipsius tuendæ
gratiâ ferro accingerentur, respondit ille: Quam deinde spe-
ciem fore sumentium in limine Curia gladios? Nec minus,
quod *Livius lib. 8. c. 5.* recenset, cum L. Setinus Latinorum
Legatus à Romanis petere auderet, ut alter Consul è La-
tio eligeretur, T. Manlium Romanorum Cos. adeò irâ exar-
sisse, ut jurârit; Si tanta dementia Patres Conscriptos cepisset,
ut à Setino leges acciperent, gladio cinctum se venturum &
quemcunque in Curia Latinum vidisset suâ manu interfe-
cturum: quæque his similia sunt. Hodie tamen, in pacatis
Rebusp. quia mutæ oppressionis ac violentiæ metus cessat,
omninò non ipsi Magistratus tantum, sed honoratiores etiam
ministri, itidemque illi, qui non dignitatis sed custodiæ ergò,
adsunt, in Curia gladios gestare solent. Quantum nunc ad
subditos, ne militi quidem ad Palatium (i. e. forum judi-
ciale vel curiam, *arg. l. 2. Feud. c. 46. An apud Curiam Do-
mini vel judicem &c.*) gladium ferre licet, ex constitutione
Friderici Imp. 2. *Feud. 27. §. 5. f.* Imò ne nobili quidem *Ti-
raquell. n. 73.* Sicut receptum in iudicio Equestri Silesiaco,
im Schlesischen Ritter-Recht und Ehren-Gericht/ apud *Volck-
mannum* ut antequam quis admittatur, Ehe er vor die Ritter-
Banc vortritt/deponere gladium necesse sit. v. *Georg. Wentz-
ki vom Schlesischen Ritter-Rath und Ehren-Gericht/p. 37.* Ne-
que huic dissimile est, quod *Decianus d. l. ex Tiraq. modo citati
c. 20. n. 74.* de Venetis dicit, illos non concedere, ut quis-
quam etiamsi miles sit, vel quacunque dignitate præcellat, in
Collegio Principis vel Aulâ, ubi Senatus convenit, gladium
gestet, sed eum extra portam deponendum esse. conf. de
Mediolanensium constitutione *Menoch. de A. l. Q. d. cas. 394. n.
38.* Et de ritu ponendi apud Magistratum ferri, *Lips. in Elect.
cap.*

cap. de Lictoribus. Exterorum tamen alia causa esse videtur, ad quorum dignitatem sine dubio respiciendum est, præsertim quia locorum consuetudines variant. An verò tanto honore, ut gladiis accincti coram Magistratu appareant, prosequendi sint, vel non, docet *Marselaer lib. 2. legati dissert. 12.* Cæterum cum in his locis Ensem ferre non liceat, multò minus stringere eundem vel nudare impunè erit. v. *Carpz. part. 1. quest. Crim. 40. n. 30. & Besold. thes. pract. in voce Burgfriede. vers. interdum.*

Th. XLIX.

Detrectant insuper Conventus & Comitia publica gladio-
rum gestationem. v. omninò *Tiraquell. de Nobil. c. 20.* Ne-
que ignota est lex illa Charondæ Thuri sine limitatione præ-
scripta; ne quis cum ferro in concionem intraret: Quam-
cum ipse violasset ferro districto incubuit, *Val. Max. l. 6. c. 5.*
Exemp. ext. 4. Quamvis alii factum hoc Zeleuco Locren-
sium, alii Diocli Siracusiorum LLatori ascribant, *Tiraq.*
l. c. num. 7. Sic cum in Sigismundi Poloniæ Regis ele-
ctione Zomoiscius aliique renovato ultionum per commo-
ditatem interregni sensu, ne injuriis expositi essent,
quasi militari comitatu ad Comitia Regni venissent, non
absque singulari animorum contentione verborumque
asperitate cum Lituanorum Legatis aliquot dies sunt tra-
ducti: objicientibus illis, se non ad ferale bellum, sed legiti-
ma pacificave novo Regi creando Comitia profectos, pro-
indeque in Senatum Polonum, nisi omnis prius armatura de-
posita esset, venire detrectantibus, *Thuan. l. 88. histor.* Atta-
men, quando timetur, ne in congregatione civium, motus
aliquis exoriatur subitò, tum comitia quoque & conventus
armati consueverunt indici. Sicut de Germanis quondam
Tac. c. 11. de moribus Germ. & de Gallis Liv. l. 21. c. 20. refe-
runt. Verum enim verò hoc non immeritò Christiana ab-
rogavit posteritas, *Constit. Imp. Pipini l. 2. Leg. Longobard. t.*
46. de armis infra pro intra patriam non portandis. vel ad placi-
tum, leg. 1. Imp. Pipin. ut nullus ad mallum. (h. e. ad conventum
generalem, (Voss. l. 2. d. vitiis ferm. c. 12. p. 24. vel majus ju-
diciam Lindenbrog. in indice ad leges antiquas.)

E

Th. L.

Th. L.

Denique non in Conviviis tantum gladii, ne calefactis vino cerebris visi inter temulentos cupidinem sui moveant, Tac. i. hist. 80. ibique Lips. in not. 150. deponi consueverunt, sicut de Telemacho Homer. Odyss. π. refert & de Atheniensibus Thucydides l. 1. Meurs. p. 2. Exerc. crit. c. 9. nisi quod contrarium à majoribus nostris ap. Tac. de morib. Germ. c. 22. ibique Lips. & Athen. l. 4. legitur, & hodiernum in tabulis Principum observatur, sed & in ipsis quandoque castris usus gladiatorum interdictus cernitur. Tale quid enim præter disciplinam Turcicam, de qua Bodin. l. 4. de Rep. c. ult. p. 487. vers. an Turcarum legibus &c. exhibet Otto Frising. l. 2. de rebus gestis Friderici I. c. 15. conf. Curt. l. 4. c. 13. n. 21. Carol. à Mansfeld, magister. milit. tr. 2. part. 1. c. un. Cæterum fuerant omnino adhuc dicenda quædam de tempore quia gladios portare in defensionem facilius permittitur noctu, ubi periculum non tam citò cognosci atque caveri potest, quàm interdiu. conf. Tusc. lit. D. concl. 243. n. 8. & sup. th. 27. Sed cum instituti atque temporis ratio plura persequi prohibeat; hinc subsistens lampada aliis trado, quibus & Divinum ingenium & limatissimum est iudicium: uberrimam tamen spe fretus, fore ut B. L. pro bonitate suam hæc tenuia propitiori dignetur vultu. Summo autem rerum Satori & Arbitro concessam Divinam gratiam aliisque innumerabilibus beneficiis suis sit Gloria, Laus, & Honor in sempiterna secula.

ERRATA. In præf. p. 2. l. 17. leg. divini Numinis. th. 3. l. 4. leg. aspiciendus erit. th. 6. l. 6. leg. ad L. Jul. d. adult. th. 9. l. 27. leg. merum Imperium. th. 12. l. 19. leg. fin. th. 13. l. 8. l. exerc. th. 14. l. 22. l. par. l. 23. l. Saxons & pas. th. 15. l. 7. leg. Regem Bohemiarum. th. 16. l. 7. l. affidet. th. 17. l. 27. l. nec non. th. 20. l. 5. l. imprimé à Paris l'An. l. 9. l. maisons. l. 12. l. le rance. l. 14. l. premiere. l. 18. l. hinc est. th. 24. l. 2. l. illustres & l. 11. l. ignor. th. 26. l. 6. l. discreper. l. 15. l. d. Comitibus & l. ult. immunitatum. th. 27. l. 17. leg. l. 4. th. 28. l. 27. l. haberi. th. 29. l. 7. l. post erit inf. quæ de & in qq. th. 30. l. 11. cum & gladium amittendum. th. 31. l. 4. l. foeminea & l. 18. leg. reg. 47. th. 33. l. 6. l. ut armorum & l. ult. leg. c. 6. th. 38. l. 8. leg. 5. 8. & l. 15. l. dextrum. th. 39. l. 16. leg. d. tom. 4. th. 40. l. 14. leg. de J. & J. l. 18. ea non l. 24. incolæ. th. 42. l. 8. leg. Thuan. l. 10. th. 43. l. 24. leg. d. J. & J. & ad L. Aquil. th. 46. l. 15. l. inveniantur. l. 19. ut in. l. 22. consistent. th. 48. l. 8. l. spectet. Cætera candidi Lectoris Dexteritas ipsa ad rectum fingere non gravabitur.

CO.

COROLLARIA.

I.

Juri & Justitiæ non est conveniens ut represalia concedantur.

II.

Pro defensione rerum s. bonorum non æquè ac pro tuendo corpore invasorem occidere licet.

III.

Ad alterius etiam extranei in mortis periculo constituti defensionem suscipiendam tenemur.

IV.

Filius emancipatus in patris testamento testis esse potest.

V.

Infamis Procuratoris officio in judicio fungi nequit.

VI.

Advocati munus nobilitati necquicquam derogat.

VII.

Fœminæ quoque possunt concedere Feuda.

VIII.

Qui artibus vilibus utitur, nobilitatem perdit.

IX.

Principi bellum gerenti non licet fortalium vel civitatem, in vicini Principis solo pacto sitam, arcendi periculi causa occupare eique præsidium imponere.

X.

Pœna suspendii in furibus non est injusta.

E 2.

En-

Ensiferos nobis dum sistis; comprecor, enses
Et Galli & Turcæ frangat ut Omnipotens.

Honoris ergo scrib.

CASPAR SAGITTARIUS, D. P. P.

Acad. h. t. Rector.

Jura ferundi ensis totus nunc ensifer orbis
Consurgens, ductu discit, Amice, tuo.

Grat. app.

JO. SCHILTER.

Unde aliis, cædes, & mille incommoda surgunt,
NICLAIDES laudum præmia ut indè refert?
Næ, sic Vir Sapiens, &, quæ sunt pessima, in usus
Vertere scit doctâ cum ratione suos.

M. Theophilus Colerus,

Superint. Saxo-Jen. Gen. Consist. Duca-
lis Ass. & ad D. Mich. Pastor.

Nunc Tibi conciliat magnas facundia laudes
Et dotes animi prædicat Alma Tui.
Curia Te laudet, mirentur rostra fluentem
Linguam, & percellant verba diserta reos.
Præmia Diva *Themis* decernit debita factis,
Pulchræ ut virtutis stent documenta Tuæ.

f. l. m. q.

Henr. Balth. Roth/ D.

ET, NICLAE, paras celebrare hinc Ense potentes,
enses qui summâ dexteritate gerunt?
Gratulor. Insistas cœptis; ac indè favorem
Saxonis Ensiferi, grataque plura precor.

Nobilissimo Politissimoque Dn. NICOLAI, Amico

pl. colendo, de egregio eruditionis

specimine grat.

Augustinus Henricus Faschius, D.

Anat. Chir. & Bot. P. P. Arch. Duc. Sax.

Navita

NAvita de ventis, de tauris narrat arator,
Qui gladios rectè gestent ostendis Amice;
Nam Tua jamdudum meruit, quod cingeris ense
Virtus, hæc plures Tibi conciliabit honores.

*Nob. Dn. Autori Fautori ac Amico suo singulari
affectu æstimando grat. appon.*

Joh. Bernhardus Frieſe /
Phil. & U. J. D. Præf. Jen.

Fortes ensiferos, quos Martia prælia laudant
Imprimis, tradis, quâ sint ratione capaces.
Hâc ratione paris laudem, decus, ornamentum
Certè insigne TIBI: TIBI lucida Numina profint!

*Nobiliss. Dn. Respondenti, præsentis Dispu-
tationis Authori, Fautori ac Amico
suo honoratiss. gratulatur*

Joh. Christoph Münch / D. Curiaë
Provincialis ac Illustr. Reg. Sax. Jen.
Adv. Ordin.

Al Nobilissimo, & Eruditissimo

**Signor Rispondente, & Autore,
Amico, e Fautor mio honoratissimo.**

LO Specchio con l'iscrizione, *cunctis æque fidum*, ci
esprime un' animo leale e sincero; con l'iscrizione,
omnibus omnia, dimostra gli affetti d'un cuor generoso,
benigno, e caritativo; Col motto, *minima reddit*, rap-
presenta l' Idea d'un animo grato: con le parole, *accipit, &
reddit*, ci dà l' Idea di chi comunica al Mondo le sue dottri-
ne, esponendo al publico quei lumi, onde il proprio Intelletto
si trova illustrato; e finalmente lo specchio concavo, che ri-
cevendo lo splendore de' raggi solari tramanda chi are vampe
d'intorno, con la sentenza, *Mostrane' Lampi altrui la sua chia-
rezza*, è bellissima imagine di quei Signori Autori & Rispon-
denti, che sotto Presidi Eminentissimi disputando, e ricevendo dal
loro

GA
TK
4928

loro prefidio autorevole dignità e lustro , fanno comparire e
campeggiare in tal occasione la finezza de' loro talenti. Tutti
questi Concetti sono stati impressi nell' animo mio, & espressi
nella gentilissima Conversatione, ch'ella si compiacque esserci
tar meco alle volte; e nel presente essercitio; Imperciocche se in
questo ci scuopre i sblendidissimi lumi del suo sublime inge-
gno, ornato di varie, e solide dottrine, in quella fa vedere
come in un tertissimo, e purissimo specchio un' animo civilis-
simo, tutto candore, e dedito à gli atti della beneficenza verso
ciascuno; Il che havendo io sperimentato in me medesimo;
la gratitudine, à lei dovuta, non mi permetteva di celar al
Mondo una tal verità, e di non confessarmi per sempre con la
presente

Di V. S.

*affettionatissimo, & obligatissimo come anche
prontissimo à servirla*

Carlo Caffa, D. P. P.

Non nisi quem cinxit Virtutis pulchra Corona,
Ense decet cingi: Dicier ore sole.
Qui sint *Ensiferi*, TUA Dissertatio monstrat:
Ergo, queis dignus, præmia pulchra feres.

*Brevibus hisce prolixum suum erga Nobilissimum
Dominum Authorem Commensalem suum
honoratissimum contestari voluerunt
affectum*

Excellent. Dn. D. FRISII Præf. Jen.
COMMENSALES.



107
mit



suprem
 millim
 devotio
 etum
 cum p
 natis.
 non fat
 poris
 hucusc
 memo
 fit om
V.I.E.
 non pe
 lum De
 verbor
 cingam
 exupera
 ope nil
c.1. qua
 conam

N
 mnes pra
 Neque in
 illud. spec
 sitione ro

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

m fecit, hu-
 ria Patrem
 iique defe-
 Præfertim
 ræclara co-
 Tibi ex asse
 o, ob tem-
 ra exclusus
 ve consule,
 mortalitatis
§.14. C. de
 etinere, ut
 um est so-
 mmensum
 num, ac-
 simis prius
 sine cujus
cipatus 25.
 nostra hæc
 netur.

 hendimus, ut
 um vel utile
 militia vincit,
 tur, atque o-
 consumantur.
 nostros fant,
 achina dispo-
 escriptos cur-
 sus

fu
 ni
 ea
 C
 ef
 be
 hi
 li
 C
 ci
 di
 c.
 li
 in
 cl
 &
 c.
 d.
 pi
 Z

 ca
 qu
 pr
 pi
 d.
 sta
 T
 l.
 m
 n
 ni

